

*purus*, quo res se sistit ut rem aliquam, ut aliquid: qui Situs adhuc in ipsam Materiam primam redundat, vulgo dicitur actus entitativus; vel *formalis*, quo sub reali modo res se sistit: qui situs potissimum huc spectat, ipsiq; Materiam primam denegatur. Caterum quoniam quaelibet pars corporis naturalis penitus inspecta corporalem rationem habet; ipsa quoque dispositio partis unius, corporalis erit, i. e. similiter, ac corpus aliquod totum, etiam ipsa pars unaquævis erit certo modo disposita. Nec enim progressu cogitationum discretivarum ad intra terminus aut finis inveniri potest. Seposita proinde penitiori dispositione vel situ formali cujusque partis in corpore, (quæ progressu non terminabili situalem rationem similiter, ut corpus totum, intra complexum sui continuat) dispositionem ejus ad extra saltem attendimus, quæ corporis pars unaquævis circumcirca clauditur, hoc est, certam *Figuram* modificatur. Unde modus & forma seu dispositio corporis ad intra quoad unamquamq; partem seorsim, dicitur abstractè FIGURA, concretè FORMA, quod nomen postea toti dispositioni partium omnium inter se mansit.

§. 11. *Relativè* si spectetur dispositio, sed adhuc ut una dispositio, quatenus pars ad partem unam certam ratione ponitur; illa *situs respectivi* nomine venire solet, & est (1) *Conjunctio* vel (2) *Disjunctio*, nempe quando pars cum parte conjuncta, vel à parte sejuncta corpus constituere juvat, quæ duæ respectivi situs unius rationes dicuntur *pure*, quod nullam connotationem motus, etiam potentialis, inveniuntur. (3) *Convergentia*. (4) *Divergentia*, quæ duæ situs unius respectivi rationes dicuntur *modales*, quod propendentiam & directionem ad motum, tanquam potentialem motum, connotent. Ad hæc quatuor Capita summa Dispositiones omnes, ut situs relativi, tanquam ad Elementa quatuor sine motu spectata, reeurrunt.

§. 12. *Absolutè* si spectetur corporis Dispositio saltim in una parte corporis, sed *pluraliter*, hoc est, si spectentur dispositiones plures, una dispositio post alteram in eadem parte, vocari ea solet *Motus absolutus*, quo pars corporis unum situm cum alio successivè mutat. Contingit autem mutatio

✓ *Situi puro*, quando res mutatur

↳ *Sim-*